

266

Disputatio Theologica
SECUNDA
DE
MOSCHOLATRIA
Populi Israëlitici, ex Exod. XXXII.

Ubi

¶ *De Vituli idololatrici cultu religioso
agitur;*

Publicè proposita

à

GEORGIO MOEBIO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.

Respondente

M. GABRIELE ARNOLDI,

Golissens. Misn. Al. El.

Die XXII. Junii Anno M. DC. LXIX.

In Auditoriō Paulinō,

horis antemeridianis.

LIPSIAE,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.



II. diss. A
. 2

a. Lett. 2.

V I R I S

Magnifico, Maximè Reverendis, Amplissimis atq; Excellentissimis

DNO. CHRISTOPHORO BULÆO, Doctori
Theol. celeberrimo, Protosynedrii Electoralis Saxonici Assessori & Seni-
ori gravissimo, Ecclesiæ Dresdensis & vicinarum Superintendenti
vigilantisimo.

DNO. GODOFREDO MEISNERO SS. Theol.
Doct. famigeratissimo, Ecclesiæ Haynensis Pastori & vicinarum
Superintendenti optimè merito.

nec non

V I R I S

Amplissimus, Consultissimo, perqvām Reverendo, Clarissimis, Spectatissimis q;

DNO. M. JOHANNI GEORGIO WILCKIO,
Scholæ Illustris, quæ Misenæ est, Rectori fidelissimo.

DNO. PHILIPPO ERHARDO NESTERO,
Qvæsturæ ad Schol. Illustr. Misnens. Præfecto gravissimo.

DNO. M. GODOFREDO STERNBERGERO,
SS. Theol. Candid. & Scholæ Afranæ Con-R. longè dignissimo.

DNO. GABRIELI GRAHLIO, Pastori in Staritz
apprimè merito.

DNO. M. WOLFGANGO MATTHÆO CHYTRÆO,
Tertio ibidem Collegæ vigilantissimo.

DNO. MARTINO Eßchaundermanno/ Cantori ibidem
longè merentissimo.

DNO. SAMUELI GRAHLIO, SS. Theol. Studios.
solertissimo.

Dnn. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus, olim Præceptoribus, Avun-
culis, & Fautoribus submissâ & filiali observantiâ colendis

Hoc Exercitium Theologicum

*In sui suorumq; studiorum commendationem debitæq;
gratitudinis signum.*

eâ, qva parest, animi submissione,
D. D. D.

M. GABRIEL ARNOLDI Respondens.



בָּשְׁמַת יְהוָה :

SECTIO TERTIA,
De Vituli Idololatrici cultu
religioso.

S U M M A R I A.

Dololatricus cultus ad petitum populi ab Aarone instituitur: graviter ille peccat, dum in hanc impietatem consentit, nec populum ab impio proposito debortatur: quatuor in hoc cultu idololatrico observatu digna occurrunt: I. altare edificat Aaron coram vitulo: Altaria idolis etiam alii erexerunt: Aaroni in hoc opere alii præbuerunt manus socias: Aaronem imitantur etiam Pontificii, dum Sanctis altaria exstruunt: Papistas excusare vult Leonh. Marius, sed frustra: Altaria an debeant esse sepulcra sanctorum? Mos Sanctis altaria consecrandi originem dicit ex ethnicismo: II. Aaron festum magnum indicit Jebovæ: An nomen Jebovæ Aaron ipsi vitulo tribuerit? Pontificii affirmant; quâ de causa hoc faciant? Israëlite an ipsum vitulum, an verò DEum in Vitulo coluerint? Ipsum vitulum eos coluisse volunt Pontificii: Refutantur 1. rationibus, 2. dissensu quorundam suorum socrorum: Obiectio diluitur: quomodo intelligenda verba ex Psal. CVI, 20: mutaverunt gloriam DEI in similitudinem vituli? An idololatria sit, si quis Deum colat in signo? Affirmatur: Pontificios idololatriæ bac in parte reos esse, & gentiles imitari ostenditur: Excipiunt, se in imaginibus verum Deum colere, gentes autem falsos Deos, qui sunt creature: Refutantur 1. quia angelos & cælites in imaginibus colunt, qui etiam sunt creature; 2. quia multi rudiores, imagines, & statuas tanquam Deos venerantur; probatur hoc testimonio Polydori Virgilii: Non tantum crassa idololatria, quâ idolum adoratur, est prohibita, sed &

E 2

subtilis

subtilis illa, quâ Deus in imaginibus colitur: probatur 1. ex definitio-
ne idololatriæ, quia omnis cultus, quo honor soli Deo debitus trans-
fertur ad id, quod est extra Deum, est idololatria; cultus autem, qui
imaginibus defertur, est extra DEum, & religiosus: talem cultum
Pontificios imaginibus præstare, probatur testimo niis multorum Pon-
tificiorum: Expressè illi statuunt, eodem modo prototypum, & ex-
emplar esse honorandum: Idolum, & imago an differant? Bellarmi-
nus affirmat; refutatur: Imago an sit vera rei similitudo? Negatur,
quia similitudo substantiæ haberi non potest, cum non incurrat in sen-
sus, sed tantum istius Accidentia: neq; Dei vera imago potest haberi:
Johannes XXII, Papa læsæ religionis eos postulavit, qui Deum sub ima-
gine seruus pinxerunt: Judæi an Arcam adoraverint? An æneus ser-
pens ab ipsis fuerit adoratus? Animæ, quia contemptui patent,
etiam pateant venerationi? Negatur: Pontificios idololatriam per
cultum imaginum committere, probatur 2. inde, quia per rem prohi-
bitam Deum colunt: De Israelitis in hoc textu, notandum III. quod
sacrificia idolo obtulerint: An solus Aaron res sacras in hoc cultu per-
eget, & sacrificaverit? Levitas non paucos ipsi adhæsse, veri-
smile est: An tria millia virorum, qui per Levitas occisi fuere, soli fu-
erint idololatæ? fuerunt primarii authores: Unde Levitæ illos co-
gnoscere potuerint? Judæi dicunt, istud peccatum tam grande fuisse,
ut nec in hodiernum diem satis fuerit expiatum: Annon Pontificii
Israelitas emulentur, & idololatriæ committant in sacrificiō suo Missati-
co? Aff. 1. quia in scriptura hoc sacrificium non fuit institutum: 2.
quia multi Pontificii fatentur, sacrificiū Missaticū ex scripturis non posse
probari; 3. quia detrahit honori Christi: 4. quia Christi naturam humanā
destruit: exceptiones nonnullæ diluuntur. IV. Cultus idololatrici finis
ponderatur: summâ lœtitiâ hunc cultum finiunt: Israelitæ hâc in parte
Ægyptios emulati sunt: ab Israelitis ad Christianos, & Pontificios hic
mos derivatus fuit. Pontificiorum Ecclesia apostasie meritò accusa-
tur: dehortatio ab impietate, & luxu subjungitur.

§. I.

IDolum à summo Pontifice Aarone formatum fuisse, præceden-
te Disputatione audivimus. Percepimus quoq; quâ figurâ fuerit
formatum, & quibus potissimum de causis forma vituli illis pla-
cuerit. Ordo postulat, ut nunc quoque consideremus cultum
religio-

religiosum, quo summus Pontifex Aaron, & populus Israëliticus idolum illud venerati sunt. Moses in textu nostro C. XXXII. v. 5. hâc de re talia consignavit: *Aaron ædificavit altare corameo, & præconis voce clamavit dicens: crass solemnitas Domini est; Surgentesq; manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.*

§. 2. Horrenda hæc fuit idololatria, & quidem principaliter commissa à summo Pontifice Aarone, qui, quamvis Israëlitæ desiderassent Deos alienos, masculè tamen illis se opponere, & vel vi-tæ suæ jactura, aut sangvinis profusione ab hōc detestando propo-sito eos deterrere debuisset. Nimirum hoc ipso facto ostendit, se fuisse hominem, id est, qui ad peccata semper fuerit proclivis.

§. 3. Labet itaque hos idololatras propriùs accedere, ipsorumque execrandum cultum paulò penitiùs aspicere, & ponderare.

§. 4. Quatuor autem in primis occurunt, quæ in hoc cultu idololatrico observationem merentur. 1. est altare, quod prope idolum erexerunt. Procul dubio hoc in sublimi loco exstructum fuit, ut ab omnibus conspicí potuerit. 2. Festum magnum indicunt, quò idolum religiosè colant; 3. Holocausta, & hostias magno numero adducunt, idolo offerunt, illudque adorant: 4. Postquam hoc suum idolum hostiis placarunt, uti sibi imaginabantur, magnâ hilaritate inter pocula & ludos festum illud traducunt. De singulis ordine, & breviter.

§. 5. Dum in cultu idololatrico occupati sunt, ædificat 1. Aaron altare coram ipso, vel uti in fonte habetur, לְפָנֵי ad facies ejus. Hunc morem etiam alii imitati sunt, & idolis altaria exstruxerunt, ut Balac, Num. XXIII. v. 1. 2. &c. homines civitatis Gedeonis, 1. Reg. XII. 33. & 2. Reg. XXIII. 15. Achab. 1. Reg. XVI. 32. Sacerdotes Baal, 1. Reg. XIII. 26. Reges quidam Juda, ut patet ex 2. Reg. XI. 18, & Cap. XXIII. 12, aliique plures.

§. 6. Procul dubio autem Aaron in hæc altaris exstructione, suos habuit auxiliatores. Non enim est credibile, ipsum solum manibus suis hoc opus perfecisse, sed potius populo locum ostendit, & certum modum, & formam præscripsit, juxta quam ædificari debuit. Aaroni igitur exstructio altaris assignatur, tanquam primario authori, sicuti antea in efformatione vituli audivimus.

§. 7. In hâc autem altaris ædificatione notandus est peccatorum progressus circa personam Aaronis. Nam 1. vitulum idololatricum format, & sic graviter peccat; 2. Vitulum, vel idolum illud erigit divini cultûs gratiâ. 3. Quò hic cultus novus eo melius succederet, altare quoque exstruit. Quæ omnia sunt peccata gravissima. Nam altaria cultûs gratiâ erigere, est opus, quod non nisi soli Deo debetur. Hinc passim in scriptura legimus, quod altaria, Domino erecta fuerint, vide Gen. IIIX. 20, Cap. XII. 7. 8. Cap. XIII. 4. 18. Cap. XXII. 9. Cap. XXVI. 25. &c. Hæc nunc omnia non latebant Aaronem; & tamen idolo huic altare ædificat!

§. 8. Sicuti autem quivis hoc Aaronis factum, tanquam impium & idololatricum meritò detestatur: Ita simili ratione, seriò illi improbandi, & rejiciendi sunt, qui Aaronē in hâc impiâ re certo modo æmulantur. Si verò Pontificios hoc factitare asseruerimus, nihil, quod contra veritatem, dixerimus. Quando enim ipsorum templa, & sacella transimus, sanè nemo inficias ibit, illos Aaronicæ idololatriæ strenuos esse æmulatores, qvod in hâc disputatione in aliquot punctis ob oculos ipsis proponamus. Jam in specie de Altaribus ostendamus. Nam et si altaria cum Aarone vitulo aureo non exstruunt, attamen sanctis demortuis hunc deferunt honorem, & altaria ipsis ædificant, ac de sanctis nomina ipsis imponunt. Idololatricum cultum se hoc ipso exercere, negari non potest.

§. 9. Excusare quidem vult hoc papistarum impium, & Deo invisum studium Leonb. Marius, Comment. in h.l. p. 642, ubi ita scribit: *Beatus Augustinus disputans de cultu sanctorum in Ecclesia Catholica recepto, negat sanctis sacrificia offerri, aut altaria, (hæc enim sacrificiis respondent) erigi. Et quod videri posset à nobis aliter fieri, cum altaria sanctorum nominibus distingvimus, ita explicari debet, ut altaria habeant duplicum usum; Unum ad sacrificia, atq; ita propriè altaria dicuntur; alterum ad martyrum reliquias conservandas, atque ita sunt sepulchra. Priori modo debentur soli Deo, posteriori serviunt, & dicantur martyribus, eo modo, quo serviunt aliis hominibus distincta sepulchra, hoc tamen discrimine, quod in sepulchris istis sancti honorentur.*

§. 10. Sed trivola & nullius momenti est hæc distinctio. Nam altaria

altaria apud ipsos non eriguntur, ut sint sepulchra sanctorum, sed ut honori, & cultui ipsorum inserviant. Eâ de causa etiam hæc illis consecrantur, eorumque cultui destinantur. Edocemur hoc ex formulis consecrationum. Tales suppeditat *Pontificale*, ubi fol. 99 ita legimus: *Sanctificetur hoc altare in honore Dei omnipotentis, & gloriose virginis Mariae, ac omnium Sanctorum, & ad honorem, & memoriam sancti N. in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* ! Jam vel apicem ex scriptura ostendat *Marius*, ubi altaria à populo Dei, & quidem Deo approbante, in honorem sanctorum fuerint erecta, illisque consecrata !

§. II. Imo pugnat hæc sententia cum fine, quem Pontificii altaribus transcribunt. Nam altaria ex mente Pontificiorum sunt loca, cultui, & sacrificiis offerendis dicata. Hinc *Beyerlinck*, conc. select. 4². p. 775. ita scribit: *Altare dicitur, quasi alta ara. soletq; sacrificiis locus erigi in alium, tum propter reverentiam, tum propter significationem, tum propter commoditatem sacrificantis.* Durandus quoque l. I. de Rit. Eccles. c. 25. §. 5. allegat Optatum dicentem: *quid est altare, nisi sedes corporis, & sanguinis Domini?* Jam si altaria sunt loca cultui, & sacrificiis offerendis dicata, imo si sunt sedes corporis, & sanguinis Christi, non possunt esse sedes sanctorum, eorundemque reliquiarum, multò minus ipsis debent consecrari ! Præterea ipse *Bellarminus* hanc sententiam improbat, & altaria non nisi soli Deo erigi posse expressè scribit. Ita enim ille l. I. de Missa c. 2. p. 935. Deinde, inquit, *Gen. II X, ubi primum altare erectum legimus, sacrificii causa erectum fuisse legimus; & in omni gente & religione, semper altaria ad sacrificia ergebantur.* Et sicut sacrificium soli Deo vero ritè potest offerri; Ita etiam altare soli Deo vero ritè potest erigi, ut *S. Augustin. doset. l. 20. contra Faustum c. 21.* Idem quoque judicat Durandus l. I. de Ritib. c. XV. §. 16. Jam, si soli Deo altaria erigi possunt, quo jure sanctis ? Sepulchra esse non possunt, quia aliud est sepulchrum, aliud altare. Sepulchra cultui divino non consecrantur, neque super sepulchris cultum divinum perficere oportet.

§. 12. Haut immeritò ergò *D. Nicol. Hunnius b. m. in Apostol. Roman. Eccles. §. 377. p. 648.* judicat, morem istum, quo sanctis aræ consecrantur, originem trahere ex ethnicismo. *Gentiles enim, dicit ibidem,*

ibidem, aras dicarunt demortuis hominibus; idem faciunt hodiè Pontificii. Confer *Alexand.* ab *Alex.* l. 2. dier. *Genial.* c. 14. & ibidem *Notas Tiragvelli* p. 184.

§. 13. Sed revertamur ad nostrum summum Pontificem Aaronem. Ille postquam altare exstructum fuit, 2. festum magnum, indicit, & per præcones passim in universis castris populo notum facit, crastino die ferias solemnes esse celebrandas, & quidem februae. Ita enim habent verba in nostro textu v. 3: **לְיְהוָה מִתְחַדֵּר חֶג** festum februae cras. Mirum est, quod non dixerit: **אֱלֹהִים מִתְחַדֵּר חֶג** cras festum Elohim. Populus enim petierat, ut illis ficeret; Ille verò festum instituit, **לְיְהוָה Jebove**, quæ duo vocabula non semper unum, & idem significant, in primis cum **וְיְהוָה** sit nomen soli Deo proprium. Quare autem hoc fecerit, disquirendum est.

§. 14. Pontifici contendunt, Aaronem ipsi vitulo hoc Dei nomen Essentiale attribuisse. Ita expressè *Leonb. Marius, Comment.* in h. l. p. 642. *Vitulo*, inquit, *supremum, & incommunicabile Dei nomen tribuit, nempe וְיְהוָה*. Et sic alii quoque ex Pontificiis. Sequitur hos *Joh. Seldenus de DIS Syris Syntagma* l. p. 154, ubi ita scribit: *ut idololatris placeret, Dei Opt. Maximi nomen ineffabile, & proprie idolo attribuit.*

§. 15. Quâ de causa autem Pontificii ita sentiant, facile animadvertere possumus. Nimirum probè vident, illis objici posse, se esse idololatas, & imitari hâc in parte Israelitas, quando imagines, & statuas sanctorum venerantur; hinc dicunt, Israelitas vitulum illum, ut verum Deum adorasse, non verò in vitulo, vel sub hoc signo verum Deum; Sese autem ipsas imagines, in se, tanquam Deos non colere, sed universum cultum ad prototypon dirigere, & referre. Ita expressè *Bellar. l. 2. de Imag. Sanct. c. XIII. pag. 983. Judæi, quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putaverunt, ipsum Deum cœli esse vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli statuerunt.*

§. 16. Sed hæc sunt falsissima. Nam tam brutus vel populus vel Aaron non fuit, ut judicaverint, vitulum jam in conspectu omnium fusum, esse verum Jehovahm, qui populum ex Ægypto eduxerat, antequam hic vitulus fusus fuit. Prorsus mente capti fuissent Israelitæ, si putassent, & firmiter sibi persuasum habuissent, hunc vitulum

lum, qui jam manibus artificis in ipsorum conspectu formatus erat, esse verum Deum, cui eductio ex Aegypto esset ascribenda. Qui ita sentiunt, cerebrum suum non in capite, sed in calcaneo ferant necesse est. Ipse Aaron hos refutat. Non enim dicit; *Cras erit solemnitas huic vitulo*, quem formavimus, sed notanter dicit; *Cras erit festum יְהוָה Jehovæ*; quasi dicat: *Cras festum in honorem summi nostri Dei celebrabimus, cujus præsentiam in hoc simulachro certè cognoscamus.*

§. 17. Si ergò nomen *Jehova* est incommunicabile, quod ipse *Bellarminus* l. c. p. 983. agnoscit, quomodo potuit vitulo communicari? Respondet quidem ad hanc instantiam *Bellarmino*, dicto loco p. 984, & dicit, *forte & Judeos illos, qui plures veros Deos esse credebant, non putasse, hoc esse nomen proprium, sed appellativum.*

§. 18. Sed illud forte, scrupulum, & instantiam non tollit. *Fortè* enim se res aliter habet; Imo nos tanquam absurdum hoc agnoscimus, Judeos tunc putasse, *plures esse veros Deos*. Nam non longè ante è Monte Sinai lex divina ipsis cum magna maiestate erat promulgata. Ex hac satis didicerant, unum esse verum Deum, cuius quoque veri Dei præsentiam satis conspexerant. Nullo modo ergò jam in hâc versati sunt sententiâ, vitulum illum esse verum Jehovaham.

§. 19. Rectè igitur in hanc sententiam scribit *D. Brochmannus Tom. 2. System. p. 56.* *Israelitæ formant vitulum aureum, non certè hoc animo, & instituto, ut ipsi vitulo in se considerato honorem divinum deferrent, sed ut Deum in vitulo illo aureo honorarent. Nam quod dicunt, viso vitulo: Hi sunt Elobim tui, non hoc faciunt è de causâ, quasi vitulum illo ipso die formatum haberent pro DEO, qui ipsis ante quatuor menses ex Aegypto eduxerat; sed ista loquendi forma docere volunt, se religiosum istum cultum, non fusili bovis figuræ, sed Deo impendere, qui ipsis ex Aegypto manu forti eduxerat. Quare etiam Aaron solempne illud religiosi cultus festum his verbis indixit: Cras solemnitas Jehovahæ est.*

§. 20. Etiamsi itaque in nostro textu dicatur, *Israelitas sacrificasse vitulo*, sensus tamen nullus alias est, quam quod sacrificaverint Jehovah in vitulo. Nam Aaron festum indixerat Jehovah; huic ergò sacrificia, tanquam in vitulo (juxta ipsorum persuationem) præsenti offerunt. Confer *Quistorp. Annotat. Bibl. in h. l. p. 116.* Haut sine

Etiam si ita in nostro textu dicatur, Israelitas sacrificasse vitulo, sensus tamen nullus alias est, quam quod sacrificaverint Jehovah in vitulo. Nam Aaron festum indixerat Jehovah; huic ergò sacrificia, tanquam in vitulo (juxta ipsorum persuationem) præsenti offerunt. Confer Quistorp. Annotat. Bibl. in h. l. p. 116. Haut sine

re quoque scribit D. Rungius *Comment in h. l.* p. 1029. *Hæc verba*,
inquit, *cras est solemnitas Jebovæ, manifestè indicant, neg₃ Aaronem,*
neg₃ Israelitas voluisse hoc invento novum, vel alienum Deum colere,
sed Jebovam ipsum, cui etiam propria intentione peculiare festum, in
diem crastinum consecrant.

§. 21. Imo ipsi Pontificii nonnulli agnoscunt, Israelitas non vitulum, sed Deum in vitulo adorasse. Sic Job. *Ferus* in cap. VII. Act.
Judei venerati sunt Deum verum in vitulo, quem formavit Aaron,
idq₃ patet ex ipsorum verbis: Hi sunt Dii cui &c. peccarunt verò, quod
idolum extra primum Dei præceptum fecerunt. Quid? quod ipsum
Bellarminum evidens textus cogit, ut p. 984. scribat: *Dicunt non-*
nulli (scilicet Abulensis, Cajetanus, & alii, quos paulò antè nomi-
naverat) nec improbabiliter, posse admitti, quod Judei in idolo puta-
verint, se colere Deum verum; ceterum in hoc eos etiam errasse gra-
vissimè, tum quia idolo sacrificabant, & in ipso idolo divinam vim
inesse credebant, tum etiam quod imaginabantur, Deum esse corporeum,
& ipsi idolo similem. Hæc Bellarminus; à quo meritò postulamus,
ut probet, Israelitas credidisse, in ipso vituli idolo aliquam vim di-
vinam inesse, & Deum corporeum statuisse. Si enim ex eo, quod vi-
tulo sacrificaverunt, id colligitur, utique par ratione colligere pos-
sumus, Pontificios etiam statuere, imaginibus vim quandam divi-
nam inesse (frustra renitente *Concil. Trident.*) cum thure, precibus,
votis, &c. eas colant.

§. 22. Nec quicquam contra facit, quod Leonb. *Marius, Comm.*
in h. l. p. 642. objicit ex *Psalm. CVI. 20: Obliti sunt Deum, qui sal-*
varuit eos, & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli, com-
*edentis fænum. Qvod si obliti sunt Deum, infert Marius, utiq*ue**
non coluerunt Deum, & si mutaverunt gloriam suam, etiam mutave-
runt Deum suum. Resp. I. Quando Psaltes dicit, obliti sunt Deum,
non hoc vult, quasi nesciverint, Deum verum adhuc in cœlis guber-
nare, vel quasi notitia veri Dei prorsus ex illorum animis effluxer-
it, sed hic est sensus, quod beneficiorum à Deo in ipsos collatorum,
non amplius fuerint memores, & in primis, quod mandata ejus, ac
in specie illud, quo prohibiti erant, simulacrum aliquod ad cultum
Dei facere, ad memoriam sibi non amplius revocaverint. Qui ergò
beneficiorum divinorum, & mandatorum DEI obliviscitur, is
ipsius Dei obliviscitur, & qui verum DEUM aliter colit, quam
in ver-

223

in verbo suo præcepit, is non colit verum Deum, sed cordis sui idolum. 2. Nulla est consequentia; mutaverunt gloriam Dei in similitudinem vituli, comedentis fænum; Ergo vitulum ipsum, nec verum Deum in vitulo adorarunt. Nam in adducto Psalmo CVI. proponitur non intentio Moscholatrarum, sed judicium Spiritus Sancti, quomodo scilicet in cœlo acceptata sit illa Moscholatria, nimirum ut mutatio gloriæ divinæ, non transmigratoria, quasi divina Essentia in vitulum commigrasset, sed relativa, quâ quod Deo debebatur, in vitulum collatum sit. Sic *Jerem.* II, 27. tribuitur Israelitis, quod dixerint ligno: *Pater meus es tu, & lapidi, tu genuisti me;* Atqui Reges, Principes, & sacerdotes Israelitarum tamen vesanæ, & emotæ mentis non fuerunt, ut statuerint ligneas, ac lapideas illas statuas, esse creatores suos; alias stupidissimi fuissent; Sed quia per cultum illarum statuarum Deum creatorem colere voluerunt, ideo rectè de illis hoc pronunciatur, quod honorem creatoris mutaverint in similitudinem ligneæ vel lapideæ statuæ. Confer *D. Gerhard.* Tom. III. LL. §. 92. p. 102. & *D. Dannenbauer.* Part. I. Hodom. Spir. Pap. pag. 1226.

§. 23. Sed hinc gravis nascitur controversia: Annon idololatria sit, si quis Deum colat in signo sculptili, vel per signum? Pontificii negant, uti videmus ex Leonb. Mario l.c. p. 642: quod sub similitudine, inquit, Deus verus legitimè coli possit, Esaiæ exemplo sati satis, qui scribit, vidisse se Dominum, utique in similitudine tantum, non in Essentia, & tamen Angelos eum adorasse. Ita quoque Bellarmin. Hinc l. 2. de Imag. Sanct. c. 21. p. 1001. ita scribit: *Imagines Christi, & Sanctorum venerandæ sunt, non solum per accidens, vel impropriè, sed etiam per se, & propriè, ita ut ipse terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris.* Tannerus quoque Tom. III. p. 1386: *Sine dubitatione simpliciter, & absolutè fatendum est, imagines, & reliquias Sanctorum, aliasq; res sacras, non solum abusivè, & impropriè, sed etiam verè, & propriè, licet respectivè colendas, & adorandas esse.*

§. 24. Turpissimam hâc in re illos committere idololatriam, paulò post satis demonstrabimus. Jam nonnullas exceptiones audiamus, quibus à crimine idololatriæ se liberare conantur. Nimirum i. dicunt, se imagines, & statuas, non prout Israelitæ fecerunt, adorare, sed Deum in imaginibus colere. Hinc *Scribanus* l. VI. contra Or-

thod. Fid. p. 286: Planissimè peccavit hoc peccato Israel apud Aarōnem, & Jeroboam in vitulis aureis, Sinai, Bethel, Dan, apud Manassem, & Achab adolentes incensum Baalim &c. At nos tam longè sumus ab hoc cultu, adoratione, litatione, quam vos à veritate. Illi sculptilia, hæc, lapides, aut ligna Deos arbitrabantur, divinos impendebant honores, nec alios, quam univero Deo debitos: Nos sculptilia, ligna, & lapides agnoscimus, nec aliud, quam imagines, rerum falsarum apud illos, verarum apud nos, nec alium his honorem, quam imagini damus. Nos quicquid imagini impendimus, Deo impendimus, &c.

Resp. Totum hunc discursum etiam nostri Moscholatré pro se potuissent adducere, & sic idololatriæ minimè damnari. Quodenim non ipsum vitulum, sed Deum in vitulo adoraverint, antea satis ostendimus. Deinde ipsi ethnici jam olim hoc glaucomate usi sunt, & eadem ratione demonstrare voluerunt, se idololatriæ minimè reos esse. Nam apud Arnob. l. VI. contra Gent. ita se purgant: Sed erras, (dicebant ad Christianos, idololatriam obijcentes) & laberis; Nam neque nos era, neque auri, argentiq; materias, neque alias, quibus signa conficiunt, eos esse per se religiosa decernimus numina, sed eos in his colimus, eosq; veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris.

§. 25. Excerpt 2. Förerus Part. 3. Antiqu. Pap. 1. 7. c. 7. p. 207.
Ob schon die wißigen Händen das Jenig haben verehret / was das Bild hat vorgestellet / so war es doch nichts desto weniger eine große Abgötterey / dieweil dieselben Dinge alle / an deren Statt die Bilder waren / eben so wohl Creaturen / und nicht Gott gewesen seynd. 2. Catholische verehren keine Creaturen / als Gott mit höchstem Dienst / welches die Händen gethan.

Resp. 1. Friget hæc exceptio. Nam & Angeli, Sancti que cœlites sunt creaturæ, & latrā his à Pontificiis deferri eo ipso, quo religiosus cultus defertur, extra omne est dubiū. Nihil juvat ipsos hinc distinctio inter δελεῖαν & λαργεῖαν. Tocies enim à Nostratibus explosa, & protrita fuit. Vide in primis D. Dannenb. in Colleg. Decalog. Disput. 2. §. 17.

2. Multi hoc ipsum nō satis observant in Papatu, & religiosum hunc honorem ipsis creaturis deferunt. Testatur hoc Polydor. Virgil. l. VI. De Rer. Invent. c. 13. p. 544. ubi ita scribit: Cæterum illud atque ad eo desi-

222

eò desiderari posset, ut sacerdotes frequentius populum docerent, quo nampacto deberet, & venerari ejusmodi imagines, & apud eas sua offerre donaria: quod quia illi tacent, & vulgo ex suo usu tacere putantur, idcirco eò insaniæ deventum est, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate. Sunt enim benè multi rudiiores, stupidioresq; qui saxeas, vel lignreas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pietas, variisq; colorib; litas imagines colunt, non ut figuræ, sed perinde, quasi ipsæ sensum aliquem habeant, & iis magis fidunt, quam Christo, vel aliis divis, quibus dicatae sunt. Quo fit, ut stultitiam stultitiam cumulantes illis offerant, aurum, argentum, annulos gemmatus, omnifariasq; gemmas, ibidem senio perituras. &c. Admodum ergò verisimile est, multos de rudi, & simplici plebecula adhuc hodierno die, in papatu imagines, & statuas, non aliter, quasi sensum quendam, habeant, venerari. Fatetur hoc ipse *Æneas Sylvius* sive *Pius Pontifex*, quando l. III. scribit: *in Ecclesia S. Mariæ Prunetunæ, agri Florentini, virginis esse imaginem, quam mirâ religione populi venerantur, tanquam pluviæ, serenitatisq; donatricem, cum necessitas ingruit.*

§. 26. Non tantum igitur crassa illa idololatria, in quâ ipsum idolum adoratur; sed etiam subtilior illa, quâ Deus adoratur in sculptili, vel imagine, est contra expressum Dei mandatum. Talis fuit Israelitarum in vitulo, & talis quoque est Pontificiorum in statuis, & imaginibus. Hoc ipsum ita probamus: i. *Omnis cultus, quo honor soli Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum, est idololatria.* Per cultum imaginum, & statuarum in templis Pontificiis honor soli Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum. Ergò per cultum imaginum, & statuarum in templis Pontificiis committitur idololatria.

Major patet, ex *Definitione idololatriæ*. Nam idololatria, definiens Theologis, est cultus, quo honor soli vero Deo debitus, transfertur ad id, quod est extra Deum. Vide *D. Gerhard. Tom. 3. LL. §. 86. p. 91. Schröderum Tract. de Imagin. q. 2. th. 28.* Nota autem hic: quando dicimus, cultum religiosum soli vero DEO deberi, tunc intelligimus verum Deum, Essentiâ unum, tribus autem distinctis personis subsistentem. Qvâ in parte etiam idololatriam committunt Judæi, & Turcæ. Nam etiamsi unum Deum colant, negant tamen istum unum Deum subsistere in tribus distinctis personis. Ju-

dæos, & Turcas quidem ab idololatria eximere voluit D. Georg. *Calixtus*; sed meritò refutatus fuit ab orthodoxis Theologis. vide D. *Calov.* Tom. I. Syst. p. 189. D. *Strauch.* in *Vindic. Conf. Rep.* p. 114. & 115.

Minorem confirmamus hoc modo: quicunq; deferunt divinum honorem ei, qui non est Deus, committunt idololatriam; quia adoratio est cultus soli Deo debitus. At in Ecclesiis Pontificiis adorationis cultus, imaginib; defertur; quod patet ex Testimoniis Bellarmini, Tanneri, aliorumq; s. 22. adductis; Addimus jam, quod Thomas part. 3. q. 25. artic. 3. Alexander Alensis p. 3. q. 3. m. 3. artic. 3. Bonav. 3. sent. dist. 9. artic. 1. q. 7. Albertus, Richardus, Capreolus, Marsilius, Almainus, aliiq; complures, statuant, eundem honorem deberi imagini, & exemplari, ac proinde imagines S. Trinitatis Christi, & crucis, cultu latræ adorandas esse. Ergò.

§. 27. Ex recentioribus idem asserit *Gregor. de Valent.* Tom. 3. disput. 6. q. 11. punct. 6, ubi ita ait: *Verissimum est, quod affirmari solet, eodem offici, atq; honoris genere, eodem animi motu, hoc est, eadem voluntate excitandi opinionem excellentem, honorari prototypum ipsum, ejusq; imaginem.* Eadem mens est Förieri. Hinc part. 3. antiqu. papat. l. 7. c. 2. p. 199 ita scribit: *Das ganze Objectum, oder der völlige Gegen-Satz einer solchen Verehrung besteht auf zweien Stücken zusammen / nemlich auf dem Exemplar/und auf dem Bild des Exemplars / der Gestalt / daß das Gemüthe des Menschen mit einem einzigen act, oder Wirkung zumal auf beyde gehe / samt wehren sie etlicher Massen vereiniget / und zusammen gefügt / gleich wie einer pflegt mit einem einzigen Kuß / und Fuß. Fall zugleich eines Königes Purpur-Kleid / den Scepter/und den König selbst zu verehren.*

§. 28. Jam si eodem modo prototypum, & exemplar debet honorari, tunc utiq; cultus soli Deo debitus transfertur ad id, quod est extra Deum, & per consequens manifesta comittitur idololatria.

§. 29. Excipit hic Bellarminus l. 2. *De Imagin.* c. V. p. 944, & distingvit inter imaginem, & idolum. Imaginem definit, *quod sit vera rei similitudo;* Idolum verò, *quod sit falsa similitudo,* hoc est, quod repræsentet id, quod revera non est. Colligit postmodum exinde, *imagines Christi, & Sanctorum non esse idola,* & per consequens, per cultum eorum non committi idololatriam.

§. 30. Resp. *Nugatoria est hæc distinctio. Nam i. voces idoli, imaginis,*

ginis, & simulacri s̄ep̄isfimē promiscuē, & indifferenter usurpantur, non tantum apud prophanos authores, sed etiam in scriptura S. & apud Ecclesiasticos scriptores. Sic 2. Reg. XI. 18. populus sub *fojada* confringit omnes *imagines Baal*. Vide etiam *Esa.* XLIV. 13. *Ezech.* VII. 20. *Cap.* XVI. 17. *Cap.* XXIII. 14. *Amos* V. 26. Pari ratione etiam *Tertullian.* in *Apologet.* c. XII. *Cyprian.* de *Exhortat.* *Martyr.* c. III. *Chrysost.* *Tom.* I. *Homil.* 87. aliique, idola gentium vocant, imagines. Imo ipse *Gregor.* de *Valent.* l.3 de *Idololat.* c. VIII. s. *Quod autem, ita scribit: Idolum Gr̄ecē imaginem, sive simulacrum significat.* Huc spectat etiā illud Erasmi in *I. Corinth.* VIII. p. 335. Certè *Ambrosius* nullum novit discrimen inter *idolum*, & *simulacrum*, nec ego ultum video.

2. Si hæc distinctio admitteretur, sequeretur, imagines historicas, quæ prototypum exactè non exprimunt, esse idola. Nam quotquisq; pictorum eā figurā depinget Apostolos, quam habuerunt, dum fuerunt in vivis? Quot idola sic escent passim in templis, & in primis in sacellis pontificiorum? quæ etiam propter cultum istum, qui ipsis offertur, revera sunt idola.

3. Falsum est, quod imago sit vera rei similitudo. Nam ubi vera similitudo haberi non potest, ibi nec imago. At in imaginibus Pontificiorum vera similitudo haberi non potest. Ergo. Assumptum patet, quia similitudo substantiæ haberi non potest, sed tantum Accidentium sensilium; ratio est, quia in sensum externum substantia non venit, sed tantum ex accidentibus visis colligimus substantiam. Jam quicquid non venit in sensum externum, id etiam nullā picturā figurari potest. Quomodo enim quis pingat, vel penicillo adumbret, quod nunquam vidit? Si enim pingendo imaginem producit, falsam efficit imaginem, & sic imago non est vera similitudo. Quia itaque imagines veras rerum similitudines exactè repræsentare non possunt, tunc utique erunt idola ex definitione *Bellarmini*. In specie de imagine crucis nondum constat, quā fuerit figurā, commissā, immisā, an decuslatā. Sudavit hāc in re exprimenda *J. Lipsius*; sed post multum æstum nihil certi audet determinare. Imo *Bellarminus* ipse hāc in re ignorantiam suam profitetur. Hinc l. 2. de *Imagin.* c. 27. p. 10II. ita insit: *Sciendum, crucem ex tribus lignis factam esse, querum unum erat longum, cui corpus adbārebat, alterum transversum*

sum superpositum longo, quibus affigebantur manus, tertium lignum erat infixum in ligno longo, ut pedes in eo starent. Paulò post: Utrum autem lignum transversum esset, suprapositum ligno longo, ita ut non immineret lignum longum sursum versus, non est certum. Si ergo vera istius crucis figura hodiè nescitur, tunc vera ejusdem imago non potest repræsentari, & per consequens, falsa ista crucis imago, erit idolum.

§. 31. Corruit sic quoque instantia Leonb. Marii supra §. 22. allata, qui dicit, *Deum utique sub similitudine coli posse, exemplo Esiae, qui afferit, se vidisse Deum in similitudine, & tamen Angelos eum adorasse.* Nam 1. Dei vera similitudo dari non potest; nunquam enim Deus visus est, *Deut. IV, 15.* Signis quidem creatis, in quibus Deus se repræsentavit, simile quid aliquo modo pingi potest, nihil tamen divinæ Essentiæ, quæ sola est id, quod adorandum est. Imo quis pietor adumbrabit accuratè signorum istorum, in quibus Deus apparuit, magnitudinem, latitudinem, & exactam staturam? Quis omnia lineamenta, & omnia membra cum vero colore rectè exprimet! Certum est, neminem hoc præstare posse. Sic itaque neque istorum signorum vera imago repræsentari potest. Hoc adeo verum est, ut *Johannes XXII. Pontifex*, teste *Aventino l. VII. Annal.* illos, qui supremam Majestatem divinam imagine senis pingebant, Iæsæ religionis accersiverit, eosque *Anthropomorphitas* esse pronunciaverit. Hoc meritò Jesuitis opponimus, non ut Zelum ineptum probemus, sed ut argumenti infirmitatem ostendamus. 2. Nulla est consequentia: Deus apparuit tanquam insidens solio celso, & elato, *Esa. VI. 1.* Ergo *Seraphim* istud signum Dei adorarunt; Sic primi Christiani adorabant olim ad solem orientem, num igitur ipsum solem orientem? Ita Judæi verum Deum ad Arcam adorarunt; Ergò ipsam arcam, quod quidem affirmat *Bellarmin. l. 7. de Imagin. c. XII. p. 972.* sed si hæc consequentia est firma, firma quoque erit illa: *Pontificii Papam asino inequitantem adorant;* Ergò & asinum; Item *Magi Christum in præsepi positum adorarunt:* Ergò & præsepe. Scopæ dissolutæ! Israelitæ ergò nec arcam, nec Cherubim adorabant, sed verum Deum, qui apud arcam peculiari modo se se præsentem fore pollicitus erat. Pari modo nec *Seraphim, Esa. VI.* solium illud, nec externum signum, sed Deum speciali modo ibi præsentem adorabant.

§. 32. Di-

§. 32. Dicis 1. cum Bellarmin. c. l. serpens æneus Num. XXI.
non poterat non honorari, cum in loco sublimi à Deo positus fuerit, & salutem miseris se aspicientibus adferret. Resp. Consequentia non fluit; serpens in sublimi positus oculo conspectus; Ergò, & affectu adoratus fuit. Possunt enim conjuncta esse, quæ non eodem modo potentiam activam terminant. Serpens ergò iste à Mose erigebatur, non ut honoraretur, & adoraretur, sed ut aspiceretur, & typus esset Christi, suo olim tempore in crucem agendi, & salutem collaturi his, qui oculis fidei eum aspicerent, Joh. III.14.

§. 33. Dicis 2. Quicquid contemptui patet, illud & veneratio ni. Imagines contemptui patent. Ergò. Sic, inquit Scribanus I. VI. Controv. fid. p. 292. *Lutheri, aliorumq; imagines vindicas ab inimicorum manibus, & si quis contumeliosius insurgat, indignaris, si quis subjicit ignibus, si inquinat sordibus, ringeris, nec jam verbo, sed ferro injuriam ulcisceris. Et non quicquid contumeliam patitur, etiam obsequium.*

Resp. Consequentia vacillat. Non enim omne, quod capax unius est contrarii, statim alterius quoq; capax est. Sic cœlites capaces sunt gaudii, & lætitiae, nec tamen tristitiae, & mœroris; anima capax est immortalitatis, nec tamen mortalitatis; Imo Papa ex sententiâ Pontificiorum capax est infallibilitatis, nec tamen (ex hypothesi eorum) fallibilitatis.

§. 34. Porrò, Pontificios idololatriam committere per cultum imaginum. 2. sic probamus: *Quicunque per rem prohibitam Deum veneratur, & colit, ille committit idololatriam. Pontificii per cultum imaginum, tanquam per rem prohibitam Deum colunt, & venerantur. Ergò.*

Majoris veritas constat, partim ex manifesto Dei præcepto, quo se per imagines coli vetuit, ut Deut. IV.15. 16: *Cavete diligenter animabus vestris (non enim vidistis ullam imaginem in die, quâ locutus est Jebova ad nos è medio ignis) ne forte corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis sculptile, aut imaginem ullius simulacri; partim exemplo illorum, qui per cultum imaginum Deum colere voluerunt, & idololatriæ accusati fuerunt. Testes sunt Israelitæ in nostro textu. Nam per cultum vituli verum Deum coli posse putabant;*

G

bant;

bant; hujus gravissimæ autem idololatriæ poenas dabant severissimas. Alia exempla jam omitto.

§. 35. Excipit Bellarmin. l. VII. de Imagin. c. 13. Israelitas existimasse summum Deum esse vitulum illum, quia viderant in Ægypto vitulum in summo honore &c. Resp. Falsa hæc esse, supra §. 15. & seqq demonstravimus. Actum agere nolumus.

§. 36. Sed paululum ex via digressi sumus. Ad idololatras Israelitas revertamur. Duo hactenus vidimus, nimirum quod altare in honorem hujus idoli extruxerint, & deinde quod publicum festum, cultus gratiâ indixerint. Nunc mactantes quoque, & sacrificantes contemplabimur. Hac de re Moses in nostro textu ita: *Surgentes itaque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas. Vide, Lector, quām alacres, & prompti sint isti idololatræ! summo mane, furgunt, nec stertunt in multam lucem, sed statim ut aurora affulget, è stratis se corripiunt, & turmatim cum sacrificiis suis ad hoc idolum confluunt. Meritò dubitatur, an tantâ diligentia, & devotione verum Deum antea coluerint!*

§. 37. Offerunt autem duorum generum sacrificia, videlicet **עלת** holocausta, & **שְׁלֹמִים** pacifica. Holocausta offerebantur ad peccata generatim expianda, & in his, victimâ teto igne absolvebatur. Unde à Græcis vocantur ὄλοναυστα seu ὄλοναύματα; ab Hebræis autem **עלת** ab ascendendo, quia victimâ igne accensa sursum ascendebat.

§. 38. Reliqua sacrificia fuere **שְׁלֹמִים** pacifica, seu *sacrificia salutis*, de quibus Levit. III. & alibi passim. Hoc sacrificii genus peragebatur solius adipis victimarum incensione, eratque duplex, aut voluntarium, aut votivum, vide Levit. VII. 15. Hæc fuere ipsorum sacrificia. Non dubium autem est, quin magno numero illa obtulerint. Nam qui adeo prompti, & alacres erant in novo hoc cultu instituendo, in sacrificiis adducendis procul dubio liberalissimi fuere.

§. 39. Scrupulus nunc hic non levis oritur de personis sacrificantibus. Quaritur enim, Quinam illi fuerint, qui sacrificia à populo adducta, debito, & decenti modo idolo obtulerint, & res sacras peregerint? Nam solum Aaronem omnia hæc sacrificia obtulisse, veritati non est congruum. De Levitis autem constat, quod ipsi in
hunc

225

hunc cultum idololatricum non consenserint. Ea de causa, postquam Moses ex monte redux esset factus, & summâ indignatione cultum hunc idololatricum oculis conspexisset, tunc justâ irâ exacerbatus non tantum vitulum istum igne combustum commoluit, sed & edidit, ut illi, qui Jehovæ essent, accederent, & se sibi adjungerent. *Aggregati autem sunt omnes filii Levi, v. 26.* Si nunc omnes filii Levi ad Mosen se aggregarunt, & postmodū etiam jussu Mosis severissime in idololatras animadverterunt, tunc omnino veritati videtur consentaneum, Levitas Aaronis delirium, & detestandam idololatriam minimè approbasse, multò minus sacrificasse, & ministeria sua huic idolo commodasse. Quid igitur hic dicendum? Nam populum ipsum in alienam messem falcem immisisse, & Levitarum munia subiisse, credibile non est, præprimis cum summus sacerdos Aaron adesset, cui sacra, ipsorumque inspectio commissa erant.

§. 40. *Tertullian l. advers. Jud. p. 123.* asserit, *universum populum Deos alienos postulasse. Sic itaq; nec Levitas excludit. D. Dannenbauer in Hodosoph. Phænom. 2. p. 125.* omnes quoque Levitas adhæsisse Aaroni scribit, sed postmodum pœnitentiam egisse. *D. Rungius Comment. in b. l. p. 1078.* non omnes consensisse in hoc factum putat, sed quosdam. Verba ipsius c. l. sunt hæc: *aggregati sunt omnes filii Levi; Non quod illorum nemo pollutus fuerit idololatria, cum principem familiæ istius Aaronem haut dubie multi sint imitati, sed quod pœnitentia ducti ad saniores mentem redierint.* Quod autem soli filii Levi, & nulli ex cæteris tribubus confluunt ad Mosen, id non eò accipiendū, quod in eis nulli fuerint Jehovæ servi, & cultores, sed tacito Dei impulso factum, qui hanc Levitarum pietatem heroicam directurus erat ad ipsorum consecrationem. Idem judicat *D. Meisner, AntiL. part. 3. p. 398. D. Gerhard. Tom. V. LL. p. 727.*

§. 41. Huic sententiæ nos quoque subscribimus, & Aaronis filios, nonnullosque Levitas Aaroni addictos fuisse, verissimum judicamus.

§. 42. Quando nunc *Exod. XXXII. v. 26* dicitur, *omnes Levitas se ad Mosen aggregasse;* Sensus non est, quasi nemo illorum idololatriæ huic adhæserit, sed quod Mose adventante, pœnitentiam egerint, & se illi omnes iterum adjunixerint.

§. 43. Plurimos autem ex populo in ista impietate permansis-

se, oltendit horrendum istud supplicium, qvod jussu Mosis per Levitas de ipsis fuit sumptū. Nam ceciderunt eo ipso die ad tria milia virorum. Ubi haut immeritò qværitur: *An isti soli peccaverint, & idololatria se commaculaverint?* Diversimodè autem à nonnullis respondetur. Veritati hi proximè accedunt, qui statuunt, tria millia istorum virorum, qui occisi fuere, fuisse contumaces idololatras, & præcipuos authores; illos itaq; discurrisse per castra, ad seditionem concitandam. Unde autem Levitis statim isti innotuerint, varias afferunt rationes? Hebræi tradunt, ideo pulverem aureum datum potui Israelitis, ut eo potu rei, & rebelles per barbas rutilas proderentur, qvâ de re plura à nobis fuere dicta, disputat: l. §.34. Alii ex contumacia, & rebellione singulari illos innotuisse putant. Sed sive hâc, sive aliâ ratione Levitis innotuerint præcipui authores, non est dubium, eos potissimum conquisitos, ut supplicium de illis sumeretur.

§. 44. Maximo itaque suo damno experti sunt, qvâm grave commiserint peccatum! Judæi dicunt, peccatum istud tam grande, & immensum fuisse, ut nec in hodiernum diem fuerit satis expiatum. Ita enim Moses Gerundensis, notante Paulo Fagio ad Chaldaicam Exodi parapbrasin: **אֵין לְךָ יִשְׂרָאֵל פֹּרֶד עַנוּחָה שָׁאֵן בָּרֶה;** id est: *Non est tibi Israel ultio, in qua non sit uncia de iniquitate vituli.* In Massech. Cap. סנהדרין vulgo dicto iterum dicunt: **אֵין לְךָ כָּל פּוֹרָעָה וּפּוֹרָעָה שְׁבָא הַלְּבָנָה לְעוֹלָם שָׁאֵן אֶחָד תָּכַר בְּהַכְרֵעַ לִיטְרֵא שָׁלַע עֲגָלָה** h.e.: **הַרְאָשָׁוֹן שְׁבָא וּבְיוֹסֵט פְּקָרִי וּפְקָרְתִּי עַלְוָהָם חַטָּאתָם** Nulla pœna venit in mundum, in qua non sit Drachma in depressione libra de vitulo primo, quia dictum est Exod. 32,34. Ego, quando pœna infligenda erunt, tum visitabo quoque simul in ipsis peccatum hoc eorum.

§. 45. Nimirum punit quidem Deus in mille generationes peccata actualia, Exod. XX. 5. quando scilicet posteri vestigiis parentum insistunt, & eadem committunt; sed quando per veram pœnitentiam ob peccata commissa dolent, tunc Deus illostantummodo punire vult, qui peccant, Exod. XXXII. 33. *& filius non portabit iniquitatem parentum* Ezech. XIII. 20. Quando ergò Judæi peccatum

catum hoc tanti faciunt, qvî fit, qvod peccatum originale non admittant, qvod multo latius se extendit, & minus non est illo, de conflato vitulo, si recte rem expendas?

§. 46. Sic ergò haclenus Israelitas, sacrificia singulare animi a lacritate idolo suo offerentes, & in hoc ipso magnam idololatriam committentes contemplati fuimus. Annon verò Pontificii etiam in hoc puncto, aliquo modo ipsis similes sint, & annon magnam quoque idololatriam committant, quando in Missâ, sacrificia à Deo non instituta, offerunt, libet hâc occasione disquirere? Nos affirmamus, & ita ostendimus: Quicunque sacrificia offerunt, quæ à Deo non sunt præcepta, nec instituta, illi committunt idololatriam, & Israelitis siue similes. Pontificii in Missa sua, sacrificia offerunt, quæ à Deo non sunt præcepta, nec instituta. Ergò.

Major probatur, qvia scriptura vocat idololatriam, omnem cultū ab hominibus excogitatum, & in Dei honorem absq; mindato suscep- ptum, Ezech. XX.18.19. Matth. XV. 9. Unde nonnulli quoque Theologî probant, Caini sacrificium ex hâc ratione Deo non placuisse, qvia fruges ex privatâ intentione sacrificaverit; Vide D. Gerhard. Comment. in Genes. p. 140.

Minor constat 1. qvia scriptura de hoc sacrificio Missatico prorsus silet; & ne syllabâ qvidem ostendi potest, ubi Christus hoc instituerit. Jam nota est regula Patrum: *Quod scriptura taceat, tacendo negat, nimirum qvoad articulos fidei, & cultum Dei, siqvidem omnia credenda, & facienda perfectè continentur in verbo scripto,* 2. Timoth VI. 16. Qvicquid igitur scriptum non est, id nec credendum, aut faciendum in Articulis fidei.

2. Ipsi Pontificii nonnulli vi veritatis coacti fatentur, *Missa sacrificium non posse probari ex scriptura, sed ex solis traditionibus.* Hinc Bellarmin. I IV. de Verbo Dei c. II X. p. 234. ita scribit: *Accedat postremò dignitas misteriorum multorum, quæ silentium requirunt, nec decet, ut in scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda mysteria Missæ non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem scripto tradere.* Nimirum hypothesis Bellarmini est hæc. Cujuscunqve mysterii dignitas vetat, ne toti mundo explicetur, illud solarum traditionum silentio involvendum fuit, atqve divinitus involutum est. At ipse videtur

subsumere, Mysterii Missatici dignitas vetat, ne toti mundo explicetur,
Ergò.

Si nunc Missæ sacrificium solis traditionibus probatur, quā de causa Bellarm. l. i. de Miss. c. IX. & seqq. p. 877. ex scriptura probare conatur? Aut igitur ipsius probationes erunt frustraneæ, aut Bellarminus sibi contradicit!

Frustraneas autem esse tales probationes, qvas ex scriptura pro Missa desumere volunt, agnovere alii Pontificii. Id discimus ex Petro Snavi Palano, qui in Histor. Concil. Trid. I. VI. p. 639. hæc refert: In congregazione die 24. Jul. à prandio habitâ, Gregorius Altai-des, Regis Lusitaniæ Theologus ad evertenda aliorum Theologorum firmamenta omnia, quibus è scriptura sacrificium Missæ astruebant, se se comparat, præfatus, id in controversiam non vocandum, an Missa sit sacrificium? Patres enim omnes id apertis verbis expressisse &c. Idcirco illud pro certo concludendum, doctrinam eam, Apostolicam esse traditionem, cuius vis copiosa satis, & patens est, ad condendos fidei articulos, sicut Synodus hæc à principio docuit; Verum autem hoc solidumq; argumentum debilitari ab his, qui aërea sibi struunt, è sacra scriptura id elicere frustra conantibus, quod nusquam ibi reperi-tur, atque adversariis veritatis calumniæ violandæ ansam præbentibus, dum vident eos arenae laxæ, ac instabili inædificare. His præmissis ad loca è V. & Novo Testamento à Theologis adducta, singillatim examinanda pergens, è nullo horum sacrificii sensum depromi posse ostendit.

§. 47. (2.) Contra Pontificios ita colligimus: Omne sacrificium, quod detrahit honori Christi, dignitatemq; sacramentorum evertit, id est sacrificium idololatricum. Sacrificium Missæ detrahit honori Christi, dignitatemq; sacramentum evertit. Ergò.

Minor patet. Nam nova illa, & iterata oblatio Missatica, aut addit aliqvid virtuti, & merito parto per crucis sacrificium à Christo peractum, aut nihil addit. Si nihil addit, planè est frustraneum; Si addit; Ergò sacrificium Christi in arâ crucis exhibitum, non fuit infinitæ virtutis, & efficaciæ immensæ, quod sane derogat perfectioni sacrificii Christi in cruce præstiti, & per consequens, in Christum, ejusq;ve sacrificium est injurium, qvicq; id etiam Concilium Tridentinum dixerit, & fulminaverit Sess. XXII. Can. 4. p. 205.

§. 48. (3.) Quicunque sacrificium offert, quod Christi naturam
buma-

222

humanam destruit, & mutat, ille idololatricum, & abominandum
offert sacrificium. Pontificii in Missa tale sacrificium offerunt. Ergo.

Minor probatur; Nam fatente ipso Bellarmino l. i. de Missa p. 941. ad verum sacrificium requiritur, ut id, quod offertur DEO in sacrificium, planè destruatur, id est, ita mutetur, ut desinat esse id, quod antea erat, & in hoc maxime differt à simplici oblatione, quæ interdum ritu mystico elevabatur coram DEO, sed non destruebatur, nisi quando verè sacrificabatur. Si igitur Christus in Missatica oblatione est sacrificium, tunc necesse est, ut ipsius corpus & sanguis planè destruantur, & desinant esse id, quod antea erant, quod absurdissimum.

§. 49. Neque Bellarminus excipere potest, *Corpus Christi admittere saltem esse sacramentale, & proinde desinere realiter esse in altari*, uti contendit l. i. de Miss. c. XXV. p. 1042. Nam secundum ipsius propriam sententiam requiritur ad verum sacrificium, ut esse substantiale consumatur, sicut expressè scribit loco cit. circa finem. *At Esse sacramentale, & Esse in Altari, non est, nisi Esse Accidentale*, quod manifestum. Neque ullus sanus dixerit, corpus Christi propterea destrui per occisionem, desinere esse id, quod antea erat, & quoad substantiam consumi, quod amittat Esse sacramentale, nisi forte Bellarminum, quoties de loco in locum transportatus fuit, toties illum occisum, & destructum fuisse existimabimus. Qvod autem Christus amplius non moriatur, novimus ex scriptura. Hinc Paulus Rom. VI. 9. *Mors illi non dominabitur amplius*.

§. 50. Vana quoque est exceptio, quando Concil. Trident. Sess. XXII. cap. 2. p. 200. & ex eo, Bellarmin. distinguit inter immolationem cruentam, & incruentam. Nam oblatio incruenta purum putum est figmentum, scripturæ ignotum, & contradictionem quoque parit in adjecto, sacrificium scilicet propitiatorum esse, & incruentum esse. Qvod enim immolatur pro peccatis, illius sanguis fundens est, quia sine sanguinis effusione nulla fit remissio peccatorum, Ebræor. IX. 22. Imo ipse Bellarmin. uti antè audivimus, fatetur, in vero sacrificio requiri destructionem hostiæ, id quod tamen in sacrificio Missä non fit.

§. 51. Affert quidem emplastrum adhuc aliud Bellarmin; dum distinguit inter reconciliacionem per sacrificium crucis factam, & applica-

plicationem per sacrificium Missæ faciendam. Verum nec sic desperatæ causæ vulnera sanantur. Nam hoc ipso sibi contradicit, & naturam veri sacrificii evertit. Si enim in Missa tantum fit applicatio propitiatorii sacrificii, utique non erit ipsa Missa sacrificium propitiatorium, *quia rei applicatio, non est res ipsa.*

§. 52. Plura in hanc rem apponere nolumus. Res satis clara est. Quilibet, qui hanc rem dignè aestimat, satis videt, idololatriæ magnæ meritò in hac re damnari Pontificios, & Israelitis idololatriis non sine ratione annumerari.

§. 53. A Pontificiis idololatriis revertimur ad Israelitas. Restat ut videamus tandem *cultus idololatrici finem.* Nimirum oblatis hostiis, frontes exporrigunt, gulae litant, & gaudii singularis signa luculenta edunt, adeo ut aer strepitu jubilantium undique resonaret. Ita enim habet noster textus: *Seditq; populus ad edendum, & bibendum, deinde surrexerunt ad ludendum.*

§. 54. Hac profusa hilaritate, & comedatione Aegyptios, illos æmulatos esse, non obscurè colligimus, si Aegyptiorum inspexerimus mores. Nam Aegyptii cum *Apis* inventus erat (non sinebatur enim celebratissimus ille *Apis* secundum naturam exigere annos suos, sed statuti ei ex sacris libris erant vita termini, quibus presentibus, mergebatur in Nilo, & alter quarebatur; vide Barthii *Animadvers. in Statuum Tom. I. p. 303. Alexandr. ab Alex. l. VI. c. 7. p. 827. Selden. de DIS Syris p. 139.*) Solemni pompa Memphim, Aegyptiorum regiam à sacerdotibus deducebatur, pueris in sacro illo comitatu carmen honori numinis gregatim præcientibus. Magnum itaque, & publicum ob repertum Deum erat gaudium, imo παρδασία sive lautissimum convivium, ut scribit Suidas, instituebatur. Israelitas itaque, qui hunc cultum idololatricum, & has solemnitates apud Aegyptios viderant, etiam hac in parte illos imitatos fuisse, omnino veritati consentaneum est. Ob inventum ergo Deum, sive idolum suum, laute comedenti, & petulanter vitulati sunt, quo vocabulo hoc sensu utitur in sacris Varro, apud Macrobius. Vide ergo, quid prava faciat conversatio!

§. 55. Uti vero prava consuetudo, & mali mores citius in simulationem trahuntur, & latius serpere solent, quam mores boni. Ita id ipsum hac in re quoque videmus. Non tantum enim Israelitæ

elitæ ab Ægyptiis hisce pessimis moribus imbuti fuere, sed etiam subsequentibus seculis Christiani nonnulli in primitivâ Ecclesia, ethnicios hâc in re æmulati sunt, & pravæ hujus consuetudinis tenuissimi fuere. Observare hoc licet de *Corinthiis* Christianis. Illos enim hujus pessimi moris Ethnici imitatores fuisse, discimus ex *I. Cor. X. 20. seqq.* Eâ de causa *D. Paulus* reprehendit eos, ceu reducentes epulas Dæmoniorum. Sed cum Corinthiis hic mos non sepultus fuit, sed tanquam gangræna vicinas quoque partes infecit. Nam tempore *Augustini* epulabantur Christiani in templis Martyrum, uti colligere licet ex *I. VIII. de Civit. Dei c. 28.* Imò cum magis magisque ad superstitiones ethnicas relaberentur, Imperatores Christiani, *Arcadius*, *Honorius*, & *Theodosius* prohibuerunt convivia, in honorem ritus gentilitii agitari solita; *Fabrotus ad Tit. Codic. Theodos.*: *de Paganis &c.* p. 51. Patres quoque sæpe se huic malo oppugnare, uti constat ex *Baronio, ad Ann. 391. §. 39. seqq.*

§. 56. Etiam si verò Christiani Imperatores, & Patres passim hunc ritum tanquam ex gentilismo introductū abolere tentaverint; attamen Ecclesia Romana sibi eundem quoque applicavit, & tanquam rem bonam introduxit, ne scilicet aliquâ in parte Israelitas idololatras desereret. Testatur hoc ipse *Polydorus Virgilius*, scriptor *Pontificius*. Hinc l. V. *de Rer. Invent. c. I.* p. 379. ita scribit: *Cum multa ab Hebreis, & non pauca ab Romanis, ceterisq; ethnicis, ad nos instituta manaverint, poscit locus, ut appositè ea perinde commemoremus, quæ ab his acceperimus, atque minimè convenit tacita relinquere, quæ ab illis sumus mutuati.* Post multa p. 383. hæc subjungit: *Sic à Romanis sumptum est, ut & sacerdotes pariter, atque prophani diebus festis convivia non ternis, aut senis ferculis, sed vicenis, si fieri posset, suis præbeant amicis.* *Quin etiam jam ita usu venit, ut non censeatur esse festa, ac solemnis dies, nisi sit opipara convivio.* *Est & illud ab iisdem ethnicis, ut sacerdotes nostri, cum primū rem divinam faciunt, b. e. primam celebrant Missam, consacerdotes, & amicos convivio excipiunt, eundemq; diem non minus religiosè, quam natalem colant.* Idem confirmat *Martinus de Roa de die Natal. c. XIX.* p. 98.

§. 57. Non prætermittendum est in nostro textu, quod populus Iudaicus inter epulandum varios quoque iudos adhibuerit. Expressè enim Moses scribit, *populum surrexisse ad ludendum.* Morem

H

hunc

hunc Israelitas ex Aegypto secum adduxisse, antea ostendimus. Sic-
ut verò in plurimis Pontificii Judæos, & ethnicos æmulantur, ita &
in hoc. Fatetur hoc expressis verbis antea laudatus Polydor. Virgili-
us. Inde l. V. c. 2. p. 388. ita scribit: *Post hunc alius paris propè la-
scivæ ludus ad nos transiit. Nam ut illi in quinquatriis minoribus, &
Megalensibus personati per urbem ludendo incedebant: Ita nostri mo-
rem induendi, personas non uno, vel altero die, nec sacrorum causa,
sed turpi insanendi studio duos continuos menses ante quadragesima
initium, stolidè servant, sub quibus inveterata jam delirandi licentia,
sexcenta flagitia quotidie faciunt, & illud impunè, quasi eo modo cui-
que liceat esse scelerato, nihilvè maleficiis credatur committi, si vera
bominis facies non videatur, perinde ac non pateamus etiam D E O,
quem nemo ambigit fandi, atq; nefandi justum esse judicem, qui & im-
probos pæna, & probos præmio semper afficiat.*

§. 58. Rectè quoque hâc de re scribit Rivetus Comment. in
Exod. c. XXXII. p. 263. Conferantur festivitates Pontificiorum, &
eorum celebratio cum cantis, choreis & comessationibus, & de facili
cuique constabit, unde ortum habuerint, & eundem esse authorem, qui
Israelitas ad comessationes, & gaudia illa, impulit, qui etiam Pontifici-
os ad Bacchanalia sua, & pervigilia.

§. 59. Vidimus hactenus quantâ æmulatione Pontificii Judæos,
& ethnicos in plurimis imitentur! Haut immeritò ergò Pontificiorū Ecclesia vel ex hoc fundamento apostasiæ accusatur. Nam quæcumque Ecclesia ad scitis variis novitatibus ab antiqua vera Christiana, & Apostolica Ecclesia ad Ethnicismum, Judaismum, & hæreticorum impuritates defecit, ea Ecclesia hautquaquam potest esse vera Ecclesia. Romana Ecclesia ad scitis variis novitatibus, ab antiqua vera Christiana, & Apostolica Ecclesia ad Ethnicismum, Judaismum, & hæreticorum impuritates defecit; Ergò.

Minorem hactenus in aliquot punctis probavimus: plenius au-
tem, & ad oculum cum aliis, in primis demonstrarunt par Theologo-
rum meritissimorum *D. Nicolaus Hunnius, & D. Heinricus Höpfner-*
rus; Ille quidem in Tractatu solido, & accurato de *Apost. Rom.* Ec-
cles; hic verò in aliquot disputationibus de *Apost. Rom. Ec-*
cles. quorum accuratissima scripta hactenus à nullo Pontificio fuere
refutata.

§. 60. Nos

229

§.60. Nos plura h̄c non addimus. Idololatras jam cum vitulo suo
idololatrico dimittimus. Inter jubila quidem, comedationes, & sal-
tationes finē huic artui imposuere; sed maximo cum ipsorum damno.
Hāc vero impietatē cane pejus, & angue fugiam⁹! Detestemur quoq;
luxū, & ingurgitationes, quæ in quævis peccata homines dant præci-
pites. Placent omnino verba Ambrosii l.VI. Epist.36.ad Sabinum: Nemo
se luxui committit, nisi qui recedit à Preceptis Dei veri. Ubi autem
cœperit qvis luxuriari, incipit deviare à fide vera. Ita duo committit
maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui
non sequitur dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriae, ac libidini
pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitaverit, atque
immerserit hujusmodi voluptatibus, perfidiae laqueos incurrit. Sedit
enim populus manducare, & bibere, & fieri sibi Deos poposcit. Unde
docet Dominus, quoniam qui duobus istis flagitorum generibus dederit
animam suam, exiuitur indumento, non vestis lanea, sed vivida virtu-
tis, cuius amictus non temporalis, sed eternus est. Observatu quo-
que digna sunt in hanc rem Verba Chrysostomi, quæ leguntur Ho-
mil. LIV. ad Populum: Quot tibi vis enumerem ex delitiis mala per-
pessos? Noe factus est ebrius, & denudatus, & vide, quot ex hoc orta
sunt mala? Esau per ingluviem primogenita perdidit, & ad fratricidi-
dium animum dedit. Populus Israel sedit manducare, & bibere, & sur-
rexerunt ludere, & propterea dicitur: Cum manducaveris, & biberis,
memento Domini Dei tui. In precipitum enim ceciderunt in delicias
lapsi. Hoc ipsum etiam exemplum ob oculos nobis proponit Paulus
I, Cor. X.7. ubi ita inquit: Ne igitur idololatre estote, sicut quidam
eorum, ut scriptum est: Sedit populus ad edendum, & biben-
dum, & surrexerunt ad ludendum.

F Alsus honor vituli veros tibi spondet honores;
Qvin venient plures ex vitulo tituli.

Gratulab. facieb. Dn. M. Respondent
D. JOH. ADAM Scherzer/ Fac. Theol.
Sub-Senior, h. t. Decanus, Canonicus
Misn. & Acad. Decem-Vir.

Arnold

ARnoldi, excoluisti sophiam benè
Nuper; Theilogiæ nunc etiam sacræ
Incubis studiosè, ac vitulos Deo
Invisos, animosè ejicis undique.

Posthac perge alaci pectore perpetim;
Non deerunt quoq; tunc præmia splendida.
Cultores etenim Theilogies suos
Nunquam deserit, at præmia dat bona.

Benivoli affectus testandi ergò apponeb.

P R A E S E S.

Tu quoque Moscholatris, cum forti Præside, certas?
Tollendum ad vitulum te quoque Milo vocat?
I sequere exemplum: neg, me præfigia fallunt:
Taurum olim, vitulum qui tulit, ille feret.

*Bonæ scævæ ergò dilectissimo suo M. Arnol-
di faciebat*

F R I D R . R A P P O L T , S S . T H E O L .
D. & Prof. Publ. Extraordinar. Poës. Ord.

Aureus in cineres Vitulus fuit ille redactus,
In cineres cultus jam Vitulinus abit,
M O E B I U S est Moses noster, vel * Chemicus Hermes,
Tuq; iñ dem pariter rebus, Amice, vacas.
Sed quid? num cineres operæ sunt præmia tantæ!
Non: Auro melior, crede, sequetur honos.

*Per Eximio Dn. Respondenti aurea omnia his
ipfis prosperiter ominabatur*

M. JOACHIMUS FELLER, P.L.C.

* Mosen Chemicum fuisse, vituluq;
aureum arte Chemicâ in pulveres
resolutum ostendit Olans Porri-
chius, in tr. de Ortu & progressu
Chemie p. 47. seqq.

Hactenus in privâ visus Tuus ardor abunde;
Jam placet, in quâ se sistat, aperta domus.
Differis egregiè Vituli de Cultibus. Olim,,
Ut Vitulum quassas, Ipse colare, precor!

*Sic Amico Honoratissimo gratulatur ex animo
specimen publicum*

M. MICHAEL Marggraff.
F I N I S.

Coll. d'Acad. A. 79, museo 2